

E POSTULATIONE

De causa Servi Dei Victoris Loiodice

Paulo post Patris Losito causam etiam causa Patris Loiodice introducta est, scl. penes Curiam archiepiscopalem Montisvidei, Vice-Postulatore Adm. R. P. *Bernardo Severin*, Rectore collegii Montisvideani. Dominica 13 Februarii exuviae Servi Dei e caemeterio publico in ecclesiam nostram translatae sunt, de qua re postea plura dicentur.

BREVIS VITA SERVI DEI VICTORIS LOIODICE¹

Habentes (teste Divo Paulo) *donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes*², non adeo miramur, quod duo Servi Dei P. Losito et P. Loiodice, ambo Apuli et coaequales, vitae cursum tam diversum haberint. P. Losito (de quo in superiore fasciculo, p. 11 plura scripsimus) nunquam patriae finibus excessit, immo totam fere vitam 79 annorum sive Canusii sive Matredomini sive Paganis transegit. P. Loiodice vero iam Neapolitanam terram reliquit annum agens vicesimum quintum, neque unquam eo rediisse videtur; fuit potius similis militi aliis viam paranti (Gallice *pionnier*) procul a patria sic laborans per biennium in Columbia, cir-

¹ Nomen Servi Dei in patria, Italia, et in catalogis Congregationis scribitur *Lojodice* (*Lo Jodice*). In terris Hispanica lingua utentibus ipse propter pronuntiationem «j» litterae formam *Loyodice* assumpsit, velut in fronte suorum librorum Hispanicorum. Forma *Loiodice*, quae hodierno gustui Italico magis placet et ubique terrarum fere eodem modo pronuntiatur, praeferenda videtur. — Fontes huius vitae sunt: Longior vita Servi Dei (pag. vi-256 in 12º) a † R. P. Thoma Ramos Matriti a. 1921 evulgata; brevior vita exarata a R. P. Alfrido Sánchez (Buenos Aires 1937); Annales Provinciae Hispanicae, fasc. I, auctore † R. P. Victoriano Gamarra (Madrid 1925).

² Rom. 12, 6.

citer per 22 annos in Hispania, tandem amplius 31 annos in terris ad flumen *La Plata* sitis. Sed paulo accuratius vitam huius eximii apostoli contemplemur.

Sicut in I fasciculo, p. 17 diximus, Apuliae vetusta urbs *Corato*, sicuti aliis multis Instituti nostri sodalibus egregiis¹, ita Victorii Loiodice originem dedit, qui ibi natus est d. 25 Jul. 1834 honestis parentibus Iosepho L. et Marianna Pennet. Baptismi nomen Victor noster procul dubio debet



Servus Dei Antonius M. Losito
(1838-1917).



Servus Dei Victor Loiodice
(1834-1916)

suo avo materno Victori Pennet, Lugdunensi, qui tempore bellorum Napoleoniorum Corati uxorem duxerat Ritam Azzariti et in infausta illa expeditione Russica (1812) mortem occubuit.

E quinque liberis Victor erat secundus, qui, quo tempore Mephicti (*Molfetta*) in certo collegio studiis vacabat, a Deo ad Institutum Alfon-sianum vocatus est, tum sancta vita Ven. Emmanuelis Ribera, qui cum duobus sociis ibi missionem habuit, tum exemplo patruelis sui Nuntii Loiodice, aetate paulo maioris, qui a. 1850 Congregationis vestem induit².

¹ Attamen ibi delendum est nomen duorum Patrum *Muccino*, Nicolaus et Raphaël, qui non Corati nati sunt, sicut *Annales Prov. Hispanicae* (fasc. I, p. 129) asserunt, sed in loco dicto *Montagano* (Campobasso). Idem valet de fratre germano Raphaëlis *Muccino Michaële*, item Redemptorista († Matredomini 20 Sept. 1860).

² Nuntius Loiodice a. 1863 ad Provinciam Romanam transiit, 1866 dispensationem a votis Redemptoristae obtinuit et monachus Camaldulensis factus est, sed ibi quoque non perseveravit.

Inde a d. 12 Mart. 1851 Victor in novitiatu Iuranensi commorabatur, admissus a Rmō Rectore Maiore Vincentio Trapanese et munitus sacro patrimonio iuxta praescripta Regulæ. Sacram vestem induit d. 6 Aprilis et d. 10 Mart. 1852 vota emisit. Studiis superioribus in solitudine Ilicetana incubuit, semper discipulorum primus, ut eius condiscipulus Alfonsus Giordano, postea Episcopus Calven. et Theanen., testatus est. Presbyteratus ordinem recepit d. 19 Sept. 1857.

Circa illud tempus in Neapolitana Congregatione, praesertim in iunioribus sodalibus, manifestabatur laudabile studium proficisciendi in longinquas terras ad regnum Christi dilatandum. Quod Rm̄us P. Caelestinus M. Berruti libenti animo excipiens, tres sodales virtute eminentes huic operi selegit: Henricum Tirino, tum 54 annorum, et Ioachim D'Elia, annorum 31, et Victorem nostrum. Quos cum S. Sedi obtulisset pro laboris campo quolibet, S. Congregatio de Propaganda Fide eos difficillimae Missioni Columbianae *Casanare* destinavit. Ipse Rector Maior in sua epistola circulari d. 26 Maii 1859 ita scripsit: «Gloriosus eventus Congregationis nostrae et singularis consolationis omnibus nobis, dilectissimi Patres et Fratres, his diebus successit. Tres nostri sacerdotes..., spiritu S. Fundatoris nostri animati, die 21 huius mensis ab Urbe profecti sunt ad missiones Americae Meridionalis ad Novam Granatam »¹ (i. e. hodiernam Columbianam rempublicam).

Diu immorari non possumus in enarrandis variis huius expeditionis eventibus. Res tam sancto ardore suscepta sat cito infastum habuit exitum. Etenim iam mense Maio 1860 Praefectus Apostolicus P. Tirino e vivis sublatus est, immersus undis rapidi fluminis Ariporo; ineunte autem insequenti anno morbus lethalis terrenam vitam Patris D'Elia extinxit. Tandem novus reipublicae praeses Mosquera, religioni infensus, Delegatum Apostolicum Miecislaum Ledóchowski (qui postea fuit Archiepiscopus Gnesnen. et Posnanien. ac S. R. E. Cardinalis) cum P. Loiodice e Columbia expulit.

Sic igitur Servus Dei mense Octobri 1861 Romam advenit, et cum divisionem illam in sinu Alfonsianaæ familiae a. 1853 Pontificio Decreto inductam valde doleret, maluit in domo generalitia manere et proinde (iuxta normam tunc vigentem) ad Provinciam Romanam transire, quam ad Neapolitanam regionem iamiam a Garibaldi vexatam reverti. Sed statim a Rmō P. Mauron hanc sibi expostulavit gratiam, ut prima occasione data iterum in aliquam Missionem exteram mitteretur.

Diu ei exspectandum non fuit. Sacerdos Hispanus Andreas Martinez de Noboa (Novoa), repletus admiratione S. Alfonsi eiusque Instituti, tan-

¹ *Documenta miscellanea*, p. 461.

dem a. 1863 a P. Mauron suae patriae aliquot S. Alfonsi filios obtinuit. Selectus est manipuli dux P. Victor Loiodice, qui nondum 29 annos compleverat, cui adiuncti sunt P. Aegidius Zannoni, decennio natu maior, et Fr. Aloisius Zanichetti. Qui primi Redemptoristae d. 11 Febr. 1863, ergo abhinc 75 annis, ad Ibericam Paeninsulam appulere.

Vertentibus annis Patri Loiodice licuit, post primum tentamen Compluti (*Alcalá de Henares*) factum, duas domos florentes fundare, unam a. 1864 Iuliae Optae (*Huete*), quod collegium in dioecesi Conchensi situm erat, alteram domum a. 1867 prope Granatam in loco *Alhama*. Ambae quidem illa rerum eversione, quae mense Septembri 1868 accidit, iniusta vi suppressae sunt et sodales dispersi. Tamen P. Victor, ut communiter in Hispania appellabatur, cum uno altero socio Matriti remanere potuit. Secutus exemplum S. Clementis Vindobonae commorantis, cum venia Superioris Generalis munus cappellani monialium ad S. Paschalis assumpsit, interim pro virili parte causam S. Alfonsi eiusque Instituti sustinens. Sic a. 1874 Matriti primam vitam Hispanicam S. Fundatoris (p. 654 in 8º) publicavit.

Monarchia exeunte eodem anno restituta et melioribus pro religione temporibus illucescentibus, P. Loiodice identidem P. Generalem rogabat, ut novos sodales ad novas domos condendas mitteret, veluti Neapolitanos extra claustra dispersos. At P. Mauron satius duxit totum negotium Provinciae Gallico-Helveticae eiusque actuoso Superiori P. Desurmont committere, qui a. 1877 primos subditos in Hispaniam misit: P. Andream Bayer, origine Germanum, et P. Ludovicum Kempf, Alsatinum. Sequenti anno P. Meinradus Jost, item Alsatinus, novae Vice-Provinciae Hispanicae renuntiatus est Visitator.

Servus Dei, qui Congregationem in Hispanicam introduxerat, ut erat humillimus, libenter primum locum alteri cessit, et a. 1879, cum insignis benefactor Iosephus de Toledo Granatae domum et ecclesiam nobis obtulisset nec P. Jost haberet, quem novae fundationi praeponebat, cum propheta (Is. 6, 8) dixit: *Ecce ego, mitte me!* Granatensis residentiae, tunc temporis in regione *Albaicin* iuxta templum *San Juan de los Reyes* constituae, Superior mansit usque ad d. 15 Jul. 1884, et ibi quoque, sicut antea Matriti, sanctitate sua singularem penes clerum populumque assecutus est auctoritatem.

Cur autem P. Loiodice ipse a supremo Congregationis Moderatore pietierit, ut sibi liceret Hispaniam a se tantopere dilectam, saltem ad tempus, relinquere et in Italianam reverti, nostrum non est hic accuratius exponere. Increata Sapientia, *fortiter suaviterque disponens omnia*, hunc servum bonum et fidelem tertio campo laboris difficii destinaverat, et res ita dispexit, ut P. Loiodice in ipso itinere, quo, ob morbum asiaticum (*cholera*),

terrestri via Italiam petebat, Patri Mauron obviam fieret¹. Qui vix subditum, sibi ut magna virtute praeditum probe notum, rogarat ut Patribus Provinciae Germaniae Inferioris in nova Missione Argentina Patre Italo valde egentibus auxilio veniret, cum statim huic desiderio morem gessit vir obedientissimus, et insalutata patria profectus est Hamburgum, in navem Germanicam in Argentinam euntem ascensurus. Virtus autem heroica non impedivit Servum Dei, quominus lacrimarum vim profunderet, videns e navi procul montes Hispaniae sibi carissimae.

Die 22 Novembris 1894 appulit ad terram fluminis *La Plata*, et ex eo tempore mansit gregarius miles usque ad mortem, quanquam fere semper Consultor vel Admonitor, sive Visitatoris sive Rectoris. Pergebat interim vitam perfecti religiosi degere et domi et foris, ornatam virtutibus vere heroicis. Omnibus omnia fieri cupiens, modo Italis, qui numerosi tunc in illas regiones immigrabant, modo aliis sese dedicabat. Assiduus erat in annuntiando verbo Dei, sive in nostra aede B. M. V. de Victoriis, sive in alienis ecclesiis, sive in conventibus religiosis; pariter assiduus in excipiendis confessionibus et in conscientiis sapienti consilio moderandis. Haud exiguis est numerus missionum et exercitiorum et similium laborum apostolicorum ab ipso habitorum. Etiam Matris de Perpetuo Succursu cultum diligenter promovit, praesertim qua praeses sodalitatis huius nominis.

Ultimam peregrinationis terrestris stationem inde ab a. 1897 in urbe Montevideo invenit, atque ibi, quo magis perpetuis suis infirmitatibus ab exercitando *verbi* apostolatu impediabatur, eo magis se dicabat apostolatui *calami*. Inter eius opera ascetica eminent piissimus de misericordia divina tractatus (1904) et alter de obligationibus religiosorum (1907) et trilogia illa de regno satanae (1910), de regno Iesu Christi (1911), de regno B. Virginis (1912)². Nonne his ultimis operibus religiosae sui temporis evolutioni anteisse videtur?

Venerabilis senex, qui etiam externo corporis habitu S. P. Alfonso seni magis magisque similis fiebat, mense Augusto 1912, in manifesto mortis periculo constitutus, ultima sacramenta pie recepit, item in nocte inter d. 19 et 20 Iun. 1915, et tertium oleo infirmorum inunctus est d. 9 Decembris eiusdem anni. Neque tamen suum pro animabus laborem intermittere poterat et confessiones sive in ecclesia sive in suo cubiculo excipere pergebat, donec d. 10 Ian. 1916, h. 5^{1/2} pom., sine agonia inter confratrum preces Creatori suo tradidit spiritum.

¹ P. Ramos dicit id Operariis (*Uvrier*) Helvetiorum factum esse, P. Gamarra vero in suis Annalibus *Contamine Sabaudiae* huic colloquio assignat.

² M. DE MEULEMEESTER, *Bibliographie II*, 257.

Vivo P. Loiodice haud semel accidit, ut quis Fratri ianitori vel sacristae diceret: « Voca mihi ad confessionale *Patrem sanctum* », nec dubium ullum erat, quis hoc nomine designaretur. Vel magis post obitum Patris Victoris haec vox insonuit: « Mortuus est homo sanctus ! » et statim ingens multitudo ad corpus defuncti accurrit, applicans ipsi rosaria similesque res sacras. Melius autem hunc brevem vitae conspectum nos claudere non posse nobis videmur quam hoc testimonio insignis Praelati:

« Infrascriptus *Pius Caietanus Stella*, Episcopus tit. Amyzonensis et Auxiliarius Montisvidei, in praesentia divina et in conscientia declaro me modo magis modo minus familiariter R. P. Victore Loiodice usum esse a mense Maio 1898 usque ad eius mortem, praesertim vero octo annis 1898-1906, et maxime illis 5 vel 6 mensibus, quibus (annuatim) infrascriptum comitabatur in Pastorali Visitatione et in missionibus per totam Rempublicam (Uruguay) institutis.

« De dicto R. Patre in conscientia declaro ea quae sequuntur: 1) Egomet et omnis populus eum pro viro vere sancto habebamus. — 2) Nunquam in eo vel minimam in adversis speciem impatientiae deprehendi. — 3) Nunquam ex eius labiis prodiit murmurationis verbulum, quinimmo erat ipsa caritas in suis verbis et iudiciis. — 4) Cubitum ibat h. 11 noctis et mane h. 4 lectulo surgebat. — 5) Ieiunium eius erat continuum. — 6) Nihilominus, quin ad aetatem suam proiectam attenderet, laborabat in suo ministerio diligenter nec quicquam praecipitando, a mane ad vesperum, praedicans passim bis in die. — 7) Erat ipsa suavitas et mansuetudo, nullo turbatus adverso casu. — 8) Contionabatur optime, et admirabili cum perspicuitate et simplicitate. — 9) E vultu eius resplendebat sanctitas virtusque interior, ita ut eius aspectus solus esset aedificationi. — 10) Nunquam toto illo tempore eum inveni vel per momentum otio deditum. — 11) Medicus Dr. L. P. Lenguas, qui eius curam in infirmitate habebat, mihi biennio ante mortem P. Victoris confessus est eum esse miraculum vivum. quandoquidem, sedens super plagis crudis, per horas et horas tranquille confessiones excipiebat »¹.

Sane is, cui tale testimonium tribui potest, est heros christianus atque dignus esse videtur, cui tempore a Deo stabilito altarium honores trubuantur. Utinam hic dies pro Servo Dei Victore Loiodice mox illucescat!

¹ A. SÁNCHEZ, p. 117 sq.

Omnis affectus erga aliquam cereataram, licet honestus, si est nimius, amorem in Iesum Christum impedit.

(S. Alf. ad monialem Sanctagathensem Sor. M. Caelestinam 24 Maii 1778).